

A D N E M E A.

NEM. I.

I. Vt alias ab Syracusarum, sic nunc, vt variet haec poetica copia, (nec aliam causam desidero) ab Ortygiae, earum partis, laudibus initium facit: erat autem Chromius Syracusanus, mox Aetnaeus.

II. ἀρχαὶ δὲ βέβληνται θεῶν

κείνου σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς.

Vtique ἀρχαὶ ἐγκωμίου μέλους iungendae sunt, non, vt statueram, τῶν ἐργμάτων, sunt enim causae, materies hymni, haec parata est deo fauente per praeclaras virtutes viri, Chromii. σὺν ἀ. pro διά. θεῶν durum est, pro ἐκ θεῶν, nec minus θεῶ σὺν θεῶ, aut, vt Dawes suadebat θεῶ σὺν ex sequente versu; forte fuit βέβληντ' ἐκ θεῶν pro βέβληντο. Pergit v. 13. *Summum felicitatis culmen est in successu*, (in victoria, et) *praeclaram victoriam celebrat Musa*. In vsf. 19-22. mihi etiamnum superest ambiguitas. Naturalis ordo esse debet ὀρθῶσαι Σικελίαν πόλιων κορυφαῖς h. πόλεσιν, *urbibus altis*. Iam ὀρθοῦν est ex voc. lyricis Pindaro varie frequentatis: modo *erigere, erectum constituere*; modo *erectum seruare*; hinc omnino *seruare*, vt Isthm. V, 62. quod et ἀνορθοῦν (hinc ὀρθόπολις Thero Ol II, 14. et θεὸς ὀρθωτὴρ Pyth. I, 109) tum *exaltare, illustrem reddere, celebrare* Isthm. IV, 65. VI, 95. porro *confirmare animum* ad suscipiendum aliquid P. IV, 106. et omnino *suscipere et facere*: Isthm. I, 64 ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν, *decus statuere publicum*. Sic ὀρθοῦν ὕμνον Ol. III, 5. Iam ὀρθῶσαι Σικελίαν πόλεσιν erit forte *conspiciam reddere urbibus*. Potest tamen et esse docte dictum pro eo, quod vulgo esset ὀρθοῦν πόλιας

O

ἐν